

LEX PROPRIA CONFOEDERATIONIS BENEDICTINAE

Schema a Congressu Abbatum 2008 adprobatum

INTRODUCTIO

1. Confoederatio Benedictina ortum habuit ab illis Congregationibus monasticis quae, salva uniuscuiusque autonomia, unionem inierunt a Leone XIII Summo Pontifice per Breve "Summum semper" sancitam et ab eius successoribus semel iterumque probatam. Haec unio Pii XII Summi Pontificis iussu accuratius ordinata est in Lege propria, quae post Concilium Vaticanum II recognita est.
2. Denominatio officialis Confoederationis Congregationum monasticarum Ordinis Sancti Benedicti est Confoederatio Benedictina.

SECTIO PRIMA

DE CONFOEDERATIONIS BENEDICTINAE NATURA, CONSTITUTIONE ET FINE

Titulus I DE CONFOEDERATIONIS NATURA

3. Confoederatio Benedictina figuram personae iuridicae et quidem universitatis personarum collegialis induit, ex qua tamen nec novum Institutum religiosum nec nova monastica Congregatio oritur.
4. Confoederatio potest iura et bona propria ad normam iuris possidere ac vindicare.
5. Confoederatio regitur iure communi et hac Lege propria, quae ex codice praecipuo ac codice accessorio coalescit, necnon ordinationibus iuxta Legem propriam editis.
6. Confoederatio sub moderamine Abbatis Primatis, Congressus Abbatum et Synodi Praesidum intra limites in hac Lege propria definitos de illis omnibus curam gerit quae ad bonum Confoederationis commune pertinent.
7. Effectus iuridici qui praeter vincula fraterna ex Confoederatione oriuntur praeterquam ex lege communi Ecclesiae ex normis propriis Confoederationis peti debent.
8. Vinculum quo Congregationes monasticae, Ordines atque monasteria Confoederationi adscripta sunt, sive quoad eius permanentiam sive quoad eius effectus, Sanctae Sedi reservatur.

Titulus II

DE CONFOEDERATIONIS CONSTITUTIONE

Caput I

De membris Confoederationis

Articulus 1 - De membris ordinariis

9. Membra ordinaria immediata Confoederationis sunt Congregationes monasteriorum monachorum O.S.B.

10. Monasteria singulis Congregationibus adscripta vel in posterum legitime adscribenda ipso facto per Congregationes quoad omnes effectus Confoederationi tamquam membra ordinaria mediata accensentur.

11. Novae Congregationes monasticae, quae a Sancta Sede, auditio voto Synodi Praesidum, ut Congregationes conformes sanctae Regulæ et traditioni Ordinis Sancti Benedicti propriae recognitae et ab ipsa erectae fuerint, fient ipso facto membra ordinaria immediata Confoederationis. Votum vero Synodi sequatur principia in Congressu Abbatum definita de notis quibus Congregatio conformis sanctae Regulæ et traditioni propriae Ordinis Sancti Benedicti praedita esse debet.

12. Ad hoc ut alii Ordines singulares sub Regula Sancti Benedicti militantes ut membra ordinaria immediata Confoederationi adscribi possint requiritur Sanctae Sedis decretum cum praevio Congressus Abbatum voto.

Articulus 2 - De membris extraordinariis

13. Quocumque monasterium monachorum Ordinis Sancti Benedicti alicui Congregationi adscribi debet. Monasterium vero quod, Sanctae Sedis indulto, nonnisi ex gravibus causis impetrando, nulli Congregationi sit adscriptum, vel ab ea cui adscriptum erat separatum neque alii adscriptum, potest, ex voto Congressus Abbatum, ut membrum immediatum Confoederationi adscribi. Talis monasterii Superior et monachi eisdem tenentur obligationibus et gaudent iuribus ac Superiores et monachi monasteriorum quae per Congregationes tamquam membra ordinaria mediata Confoederationi accensentur.

Caput II

De Institutis cum Confoederatione consociatis

14. a) Monasterium mulierum quae Regulam Sancti Benedicti profitentur, si alicui monachorum Congregationi vel monasterio confoederato est incorporatum vel unitum, per illam Congregationem vel illud monasterium cum Confoederatione consociatur.

b) Aliud monasterium, Foederatio vel Institutum vitae consecratae, sive mulierum sive virorum, cuius sodales spiritum monasticum benedictinum colere student, potest, salvo iure Ordinarii loci, cum Confoederatione per decretum Abbatis Primatis consociari.

c) Congressus Abbatum principia et condiciones pro consociatione cum Confoederatione admittenda definit.

15. a) Confoederatio et monasteria atque Instituta cum ea consociata mutuum sibi adiumentum, imprimis spiritale, praestant.

b) Monasteria et Instituta cum Confoederatione consociata omnibus bonis spiritualibus et privilegiis

Confoederationis gaudent et rescriptis atque indultis pro tota Confoederatione concessis uti possunt, dummodo naturae monasterii vel Instituti conformes sint, sed consociatio nee autonomiam uniuscuiusque monasterii vel Instituti nec iura Ordinarii proprii tangit.

Titulus III
DE CONFOEDERATIONIS FINE

16. Confoederatio Benedictina ad hoc constituta est et manet ut sub impulsu Spiritus Sancti et Ecclesia duce, per ducatum Evangelii, vita monastica secundum Regulam Sancti Benedicti et sanas traditiones cuiusque Congregationis et monasterii ad temporum et locorum condiciones aptatas foveatur, et ut fraternum inter Congregationes iuvamen, sive quoad personas sive bona sive quoad opera, omnibus modis excitetur.

17. Ad hunc finem consequendum media praecipua sunt:

- a) Congressus Abbatum, in quo Superiores monasteriorum in unum convenientes experientias et opiniones invicem inter se communicant et bonum totius Confoederationis promovent;
- b) Synodus Praesidum, in qua Congregationum Praesides, collatis consiliis, negotia ad totam Confoederationem spectantia pertractant;
- c) Munus Abbatis Primatis, cuius est Confoederationem repraesentare et collaborationem inter monasteria confoederata omnibus viribus fovere;
- d) Collegium et Athenaeum Sancti Anselmi, quod est centrum culturale monastico-benedictinum pro Confoederatione, ubi monachi ex omnibus monasteriis Confoederationis studiorum praecipue causa simul convenire possunt.

18. Praeterea, quo efficacius monachorum monasteria confoederata fraternum inter se praestent iuvamen, novitiatus, de Praesidis candidati licentia, valide in monasterio aliis Congregationis peragi potest.

SECTIO SECUNDA
DE CONFOEDERATIONIS REGIMINE

Titulus I
DE CONGRESSU ABBATUM

19. Congressus legitime convocatus totam Confoederationem represeantat, dummodo saltem maior pars eorum qui voto deliberativo gaudent vel per se vel per procuratores adsit.

20. Ratio Congressus non est Capitulum Generale instituere nec sibi vindicare potestatem quae aduersetur autonomiae Congregationum et monasteriorum, sed bono Confoederationis intra fines supra descriptos (nn. 16-17) providere.

Caput I
De membris Congressus

21. Vocem activam in Congressu habent:

- a) Abbas Primas;
- b) Praesides Congregationum;
- c) Abbates et Piores regiminis monasteriorum sui iuris;
- d) Administratores rite constituti monasteriorum sui iuris;
- e) Procuratores legitime designati monasteriorum sui iuris, munere Superioris vacante.

21² Si quis ex his membris legitime impeditur quominus Congressui intersit, causam absentiae in scriptis Congressui exhibeat, et Superiorem in Congressu praesentem procuratorem cum mandato generali sibi constituere debet, ita tamen ut nemo plus quam duorum absentium vices gerere et pro ipsis suffragium ferre valeat.

22. Prior Collegii et Rector Athenaei Sancti Anselmi participant Congressui, sed gaudent voce deliberativa in iis tantum quae Collegium vel Athenaeum spectant, inclusa electione Abbatis Primatis.

22² Priore vel Rectore impedito Subprior Collegii vel Vicerector Athenaei cum iisdem iuribus pro illis substituuntur. Si vero Vicerector non est monachus Confoederationis Congressui non interest nisi in negotiis ad Athenaeum spectantibus, in quibus voce consultiva tantum gaudet.

22³ Insuper Congressui intersunt, sine tamen iure suffragium ferendi:

- a) tres repreasentantes Collegii et Athenaei Sancti Anselmi ad normam Statutorum propriorum designati;
- b) repreasentantes monasteriorum et Institutorum consociatorum ab eo qui Congressum convocat selectae.

22⁴ Praeterea periti, consultores et auditores invitari possunt ut omnibus vel singulis sessionibus intersint.

Caput II
De convocatione Congressus

23. Ius convocandi Congressum Abbatum spectat ad Abbatem Primate, sede vero vacante vel Abbate Primate impedito ad eius Vicarium.

24. Congressus quolibet quadriennio celebratur, quod tempus sensu latiore interpretandum est, ita ut Congressus rationabili ex causa ante vel post elapsum tempus convocari possit, dummodo celebratio ne ultra sex menses anticipetur vel differatur.

Caput III De negotiis Congressus

25. Congressui competit tractatio et decisio omnium negotiorum quae attingunt totam Confoederationem aut Collegium vel Athenaeum Anselmianum.

26. Ius praesidendi deliberationibus Congressus spectat ad Abbatem Primatem in munere, sede vero vacante vel Abbatem Primate impedito ad Vicarium.

26² Praeses Congressus, consulta Synodo Praesidum, instruat elenchum negotiorum Congressus, qui tamen a Congressu vel a Praeside, consentiente Congressu, mutari vel compleri potest.

26³ Congressui, cum officium habeat advigilandi administrationi bonorum temporalium Confoederationis et Collegii atque Athenaei, competit ius accipendi rationem administrationis oeconomiae a Congressu proximo.

Caput IV De resolutionibus Congressus

27. Resolutio Congressus omnia monasteria Confoederationis tantum obligat si:

- a) negotia totam Confoederationem aut Collegium vel Athenaeum Anselmianum attingunt;
- b) et resolutio ex duabus tertiiis suffragiorum partibus approbatur.

28. Normae Legis propriae Confoederationis non possunt a Congressu Abbatum mutari nisi ad normam n. 27. Mutationes vero in codice praecipuo introducendae insuper Sanctae Sedis confirmatione egent.

28² Ceterae resolutiones (v.g. de ordine celebrandi Congressum et de similibus) maioritate absoluta votorum Congressus deciduntur, dummodo praescripta Legis propriae ne tangantur

28³ Resolutiones Congressus statim effectum obtinent nisi Congressus vacationem statuat

Caput V De electione Abbatis Primatis

29. Congressui competit electio Abbatis Primatis, qui ad tempus in iure proprio definitum constituitur. In hac electione voce passiva gaudent, nisi sint legitime impediti, omnes monachi sacerdotes monasteriorum Confoederationis qui quinque saltem annos perpetuo professi sunt.

29² Congressus ad normam n. 29 Abbatem Primatem ad octo annos eligit, qui iterum atque iterum ad quadriennium reeligiri potest.

29³ a) Vacante munere Abbatis Primatis, in prima sessione sub Vicarii vel pro-Primatis praesidentia Congressus suffragiorum maioritate decidat utrum electio Abbatis Primatis an potius deliberatio negotiorum praecedat.

b) Expleto munere, Abbas Primas tempore opportuno a se de consensu Praesidum stabilito munus suum absolutum esse declarat. Pro electione subsequenti voce activa et passiva gaudet.

29⁴ Ius praesidendi electioni Abbatis Primatis pertinet semper, ob reverentiam Sancti Patris Benedicti, Abbatii de regimine Montis Casini, et quotiescumque ipse impeditus sit Abbatii de regimine Sublacensi, successive vero illi qui inter Praesides Congregationum munere est senior.

30. Electus est ille cui in primis tribus scrutiniis duae ex tribus partibus suffragiorum favent, vel in quarto cui favet pars absolute maior. In hoc quarto scrutinio vocem passivam, non vero activam, habent illi duo candidati tantum qui in tertio scrutinio relative maiorem suffragiorum partem

retulerunt.

30² In paritate suffragiorum in tertio scrutinio ille vel illi candidati ad vocem passivam praecedunt qui professione prima vel aetate seniores sunt. In casu paritatis votorum in quarto scrutinio eadem norma viget.

31. Acceptatione electus statim officium Abbatis Primatis pleno iure obtinet quin confirmatione indigeat.

31² Si electus non est Abbas quam primum benedictionem abbatialem accipiat.

**Titulus II
DE SYNODO PRAESIDUM**

**Caput I
De ipsa Synodo**

32. Synodus Praesidum convocatur ut Congregationum Praesides consilia inter se conferant, de negotiis ad totam Confoederationem spectantibus disceptent et pro sua competentia decernant, et ut Congressui Abbatum negotia proponant.

33. Synodus negotia quae per se ad Congressum spectant decernere non potest nisi in casibus in quibus, necessitate urgente, decisio differri nequit usque ad proximum Congressum, quae decisio a Congressu recognosci debet.

34. Synodi praeterea est exsecutionem illarum rerum quae a Sancta Sede vel in Congressu Abbatum praescriptae sunt, prout opus fuerit, curare, et aliis muneribus vel a iure, sive communi sive proprio, vel a Congressu sibi concreditis fungi.

35. Membra Synodi sunt Abbas Primas, qui eam convocat eique praesidet, et Congregationum Praesides.

35² Praeses legitime impeditus delegare debet quem Constitutiones Congregationis designant ut Praesidis vicarium vel alium Superiorem maiorem suae Congregationis

35³ Synodus semel saltem in anno convocari debet.

35⁴ Abbas Primas ordinarie invitat Priorem Collegii et Rectorem Athenaei S. Anselmi, necnon Cellerarios Confoederationis et Collegii Athenaeique ut Synodo intersint; praeterea invitare potest abbates vel monachos quorum doctrina vel experientia magnum iuvamen praestare valet ut aliquibus vel omnibus sessionibus Synodi adsistant.

35⁵ Abbas Primas libere designat Secretarium qui acta Synodi accurate redigat.

35⁶ Praesidibus licet Secretarium suae Congregationis aliumve monachum peritum suae Congregationis secum ducere, qui tamen voce activa non gaudet.

**Caput II
De Commissione Permanentí Synodi Praesidum**

36. Synodus Commissionem Permanentem constitut ad quaestiones praesertim urgentiores quae usque ad proximam Synodum differri non possunt tractandas.

36² Synodus tres Praesides membra huius Commissionis ad biennium eligit.

36³ Si quis ex membris huius Commissionis a munere Praesidis suae Congregationis solvit, ipso iure etiam a munere membra Commissionis Permanentis solitus censetur. Membro a munere soluto, Abbas Primas de consensu ceterorum membrorum alium Praesidem substitutum nominat.

Caput III
De Vicario Abbatis Primatis

37 Synodus unum e membris Commissionis Permanentis eligit Vicarium qui Abbatis Primatis impediti vices gerit et, munere Abbatis Primatis legitime vacante, regimen Confoederationis ad tempus ipso iure assumit. Munere Vicarii vacante, Abbas Primas, consultis Praesidibus, alium e sodalibus Commissionis Permanentis Vicarium designat.

Titulus III
DE ABBATE PRIMATE

Caput I
De Abbatis Primatis monastica condicione

38. Abbas Primas stabilitatem monasticam, quam tempore quo Abbas Primas electus est habebat, integrum servat, sed durante munere haec manet suspensa quoad illa quae cum munere suo componi non posse censemur.

38² Abbas Primas ad normam iuris insignibus pontificalibus gaudet, quibus etiam post munus expletum uti potest.

38³ Fruitur praecedentia inter omnes Superiores Confoederationis, etiam Praesides Congregationum, in omnibus locis, etiam in singulis monasteriis quoad proprios Superiores in functionibus vitae monasticae.

Caput II
De Abbatis Primatis Consilio

39 Abbas Primas habeat Consilium, ad normam iuris proprii constitutum, cuius opera in munere exercendo utatur oportet, quod etiam muneribus iure proprio atque communi sibi commissis fungitur, relate tum ad Confoederationem tum ad Abbatiam Sancti Anselmi, salvis iuribus Synodi Praesidum.

39². Consilio participant cum voce activa sodales Commissionis Permanentis Synodi Praesidum et, in iis quae Abbatiam S. Anselmi, Collegium et Athenaeum spectant, Prior Collegii atque Rector Athenaei, Cellerarius Confoederationis et Cellerarius Collegii, dummodo ad monasterium Confoederationis pertinent.

Caput III
De Abbatis Primatis muneribus
Articulus 1 - De muneribus relate ad Confoederationem

1. Munera ordinaria

40. Abbas Primas Confoederationis iure inter Supremos Moderatores censetur, sed eius potestas desumenda est ex hac Lege propria et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis.

41. Abbas Primas totam Confoederationem Benedictinam legitime repreäsentat apud Sanctam Sedem et, prout opus fuerit, etiam apud alias tam ecclesiasticas quam saeculares societates et personas quoad illa omnia quae totam Confoederationem tangunt, salvis iuribus Procuratorum Congregationum.

42. Ipse est gestor et curator atque exsecutor negotiorum totius Confoederationis. Attente vigilare debet ut ea omnia quae ad authenticam traditionem Benedictinam pertinent, et ipsius patrimonium praesertim spirituale et scientificum constituunt, foveantur et conserventur.

42² Procuratores generales Congregationum monasticarum Abbatem Primate de negotiis saltem maioris momenti suae Congregationis certiores facere debent tam informationis quam, iuxta casus, consilii vel adiutorii causa, atque etiam ut quae sitis a Sancta Sede satisfacere valent. Exemplar actorum de his negotiis Abbatii Primi remittant in archivo Confoederationis conservandum. Recessus Capitularum Generalium et exemplar Constitutionum uniuscuiusque Congregationis cum Abbatie Primate communicentur.

42³ Singulae Congregationes exemplar relationum Sanctae Sedi oblatarum Abbatii Primi communicent.

43. Abbas Primas munere durante facultate fruitur instituendi alumnos Collegii Sancti Anselmi Lectores atque Acolythos, dummodo litteras dimissorias proprii Superioris maioris obtinuerint.

44. Abbas Primas facultate fruitur ad confessiones excipendas sodalium omnium monasteriorum confoederatorum et monasteriorum atque Institutorum consociatorum.

45. Abbas Primas potest iusta de causa in clausuram monasteriorum monialium cum Confoederatione consociatorum ingredi ad instar Superioris regularis

46. In superioris electione, in qua ad normam iuris proprii voce passiva gaudent soli monachi eiusdem Congregationis, si postulatur monachus aliis Congregationis, de cetero idoneus, Abbas Primas facultatem habet dispensationem de hoc impedimento concedendi, servatis ceteris de iure servandis.

2. Munera extraordinaria

A. De visitationibus

47. Ius visitandi Congregationes vel monasteria Confoederationis Abbatii Primi competit tantum ob causas graves et condicionibus in hac Lege propria statutis.

47² Abbas Primas ad visitationem integrae Congregationis peragendam consensu Synodi Praesidum eget. Insuper praevie cum Praeside Congregationis visitandae consilium ineat. Si necessitas urgeat et dubium remaneat, Sancta Sedes opportune consulatur.

47³ Abbas Primas ad invitationem Praesidis Congregationis vel ad instantiam monasterii, Praeside auditio, particularis monasterii visitationem instituere valet. Idem potest pro monasterio ipsius Praesidis ad invitationem eorum quibus concreditur munus eiusdem monasterii visitandi, vel ad instantiam monasterii, visitatoribus auditis.

47⁴ Propter graves necessitates difficiliaque adiuncta alicuius monasterii vel aliquorum monasteriorum, Abbas Primas ius habet de consensu Synodi vel saltem Commissionis Permanentis visitationem illorum peragendi. Antequam porro visitationem instituat audiat Praesidem Congregationis ad quam monasteria pertinent, vel eos quibus concreditur munus visitandi, si de monasterio Praesidis agitur.

47⁵ Pariter Abbas Primas ius habet visitandi singula monasteria si illorum visitatio canonica ab illis

quibus spectat per duas periodos visitationis a Constitutionibus respectivis praevisas peracta non fuerit.

47⁶ Nisi agitur de visitatione integrae Congregationis, quam ipse debet instituere, Abbas Primas visitationes sive per se sive per alium abbatem vel monachum idoneum, ad hoc specialiter delegandum, peragere valet, et ipse vel delegatus aliquem visitationis comitem ex eadem Congregatione ad quam pertinent monasteria visitanda, si hoc bonum duxerit, eligat. Visitatio, congrua congruis referendo, ad normam Constitutionum Congregationis respectivae peragatur.

B De quaestionibus et recursibus Abbatii Primi subiciendis

48. Ubi contingat exoriri inter Praesides vel Superiores maiores diversarum Congregationum dubia vel dissensiones quae pacifice componi nequeunt, ante iudicalem processum partes litigantes ad Abbatem Primatem confugiant, qui nihil intentatum relinquet ut controversia saltem de bono et aequo componatur.

49. Si compositio de bono et aequo fieri nequeat, quaestio vero dilationem non patiatur, Abbas Primas in casibus vere urgentibus, attenta necessitate, illico ipse decernat quod aequius in Domino iudicabit, facta postea relatione ad Sanctam Sedem.

Articulus 2 - De muniberis relate ad monasteria nulli Congregationi adscripta

50. Relate ad monasteria nulli Congregationi adscripta competit Abbatii Primi illae facultates, iura et officia quae ex iure saltem communi Praesidi Congregationis tribuuntur, nisi aliter in iure proprio statuitur.

50² Quolibet triennio debet, sive per se sive per alium idoneum abbatem vel monachum ad hoc specialiter delegandum, haec monasteria visitare, ita ut pro illis visitatoris ordinarii munere fungatur, nisi aliter iure proprio provideatur.

50³ Monasteria nulli Congregationi adscripta relationem Sanctae Sedi per Abbatem Primate transmittunt.

Caput IV De muneris Abbatis Primatis cessatione

51 Abbas Prima ad tempus eligitur. Si vero iusta de causa durante munere officio suo renuntiandum esse in Domino iudicaverit, renuntiationem Sanctae Sedi, cui acceptatio reservata est, submittat.

52 a) Munere Abbatis Primatis legitime vacante, regimen Confoederationis Vicario a Synodo Praesidum iuxta n. 37 electo ipso iure defertur.

b) Si Congressus Abbatum intra annum celebrandus est, ipse Vicarius regimen usque ad novi Primatis electionem tenet.

c) Si Congressus ultra annum celebrandus est, Vicarius quam primum Synodum Praesidum convocet, quae monachum Confoederationis qualitatibus in n. 29 enumeratis gaudentem elit in pro-Primate, qui regimen usque ad proximum Congressum tenet.

52² Pro-Primas omnibus iuribus, facultatibus atque officiis Abbatis Primatis gaudet, iis exceptis quae sequuntur:

a) officia in monasterio stabilitatis suae ipsi commissa retinere potest;

b) si non est abbas benedictus, neque benedictionem abbatiale accipit neque iura de quibus in n. 38²

habet.

53. Abbas Primas, munere expleto, ad monasterium stabilitatis sua revertitur, nisi aliud monasterium, consentiente huius monasterii Superiore et Capitulo, eligere malit.

54. Sustentationem congruam Abbatis Primatis, munere expleto, Confoederatio una cum monasterio stabilitatis sua portare debet; si de hac re dubium remaneat, dissolvat Synodus Praesidum, iudicando de bono et aequo.

54² Quoad bona hae normae observandae sunt:

a) Quidquid Abbas Primas sumptibus Confoederationis vel Collegii aut in favorem eorundem durante munere acquint, Confoederationi vel Collegio obvenit; alia monasterio stabilitatis sua acquirit.

b) Quoad res quae usui Abbatis Primatis inserviebant, praesumptio stat pro Collegio Sancti Anselmi nisi contrarium probetur; supplex tamen personalis, etiam munere primatiali absoluto, ipsum Abbatem sequitur.

54³ Litterae et cetera documenta Abbatis Primatis privata post eius mortem utrum archivio primatiali inserantur an alio modo de ipsis provideri debeat, discretioni successoris relinquitur. Documenta tamen quae muneric ratione acquisiverit ad Confoederationem pertinent.

54⁴ Cum Abbas Primas moritur, sive in munere sive munere expleto, praeter suffragia quae in Abbatia Sancti Anselmi fieri debent, in singulis monasteriis Confoederationis et in monasteriis atque Institutis cum ea consociatis pro eo celebretur sacrificium eucharisticum.

Titulus V DE CURIA ABBATIS PRIMATIS

55. Curia Abbatis Primatis constat e Cellerario, Secretario et aliis prout opus fuerit.

56. Abbas Primas nominat Cellerarium Confoederationis, qui insuper munere Cellerarii Collegii et Athenaei Sancti Anselmi fungi potest, cui iuxta normas in iure proprio definitas committitur administratio bonorum quae ad totam Confoederationem pertinent.

56² Cellerarius Confoederationis bona temporalia secundum normas in hac Lege propria (n. 61) de bonis Collegii et Athenaei S. Anselmi statutas administrat, mutatis mutandis.

56³ Abbas Primas Secretarium nominat, qui curam gerit de omnibus quae ipsi ab Abbe Primate committuntur, et qui ad normam iuris etiam notarii munere in omnibus quae ad Confoederationem pertinent fungitur.

56⁴ Abbas Primas monachum nominat qui de archivio Confoederationis curam habeat.

56⁵ Abbas Primas potest nominare Procuratorem generalem apud Sanctam Sedem, qui negotia Confoederationis aliaque ei ab Abbe Primate commissa pertractet, salvis iuribus Procuratorum generalium singularum Congregationum.

56⁶ De monachis petendis ad munera in curia obeunda eadem norma valet ac in nn. 59-59³.

SECTIO TERTIA DE ABBATIA SANCTI ANSELMI DE URBE

Introductio

Collegium Sancti Anselmi de Urbe, ad Sanctum Callistum a Congregatione Casinensi fundatum, ex Leonis XIII Summi Pontificis munificentia novam in Aventino colle sedem obtinuit. Idem Pontifex, erecta Confoederatione, voluit ut Collegium non alicui ex Congregationibus pertineret sed familiam ex omnibus Congregationibus conflatam haberet et in omnium profectum aequae inserviret.

Athenaeum Sancti Anselmi ortum habet a privilegio a Leone XIII Summo Pontifice concesso et a S. Pio X confirmato gradus academicos conferendi ad instar aliarum academiarum in urbe existentium. Pius XI Summus Pontifex institutum academicum Sancti Anselmi de Urbe titulo "Athenaei Pontificii" decoravit. Denique B. Ioannes XXIII Athenaeum Pontificio Instituto Liturgico auxit.

Abbatia Sancti Anselmi figuram induit personae iuridicae, eodem quoque iure gaudet Pontificium Athenaeum Sancti Anselmi, foro tum canonico tum civili.

57. Collegium et Athenaeum Sancti Anselmi ad Confoederationem pertinent, quae iis media ad sustentationem praestat, et ad normam iuris eorum supremum moderamen per Congressum Abbatum, per Synodum Praesidum et per Abbatem Primate tenet.

57² a) Finis Collegii est ut communitas anselmiana, ex omnibus monasteriis Confoederationis conflata, vitam monasticam indoli domus studiorum adaptatam prosequatur et vincula caritatis inter diversa monasteria arctius perstringat.

b) Finis Athenaei est ut studentes imprimis ex monasteriis Confoederationis institutionem vere scientificam in sacris disciplinis assequantur, quo clarius perspiciatur quantum traditio monastica vitae ac theologiae Ecclesiae contribuere possit.

Titulus I DE COLLEGIO ET ATHENAEO

58. Abbas Primas est Abbas regiminis Sancti Anselmi ubi residet, ideoque ei competit omnia iura et officia quae expresse in iure communi Superiori monasterii sui iuris attribuuntur et in decretis Sumorum Pontificum et in iure proprio continentur.

Caput I De monachis ad munera obeunda petendis

59. Omnia et singula monasteria obligationem adsumunt praestandi monachos ad munera in Collegio et Athenaeo suscipienda, proinde ius est Abbati Primi monachos ad hoc seligere, ita tamen ut ex unoquoque monasterio unus tantum exigi potest.

59² Cetera monasteria, solidarietatis causa, contributionem faciant pro sustentatione monachorum qui muneribus in Collegio Athenaeoque et in Curia primatiali funguntur.

59³ Excepto casu in quo aliquis in abbatem vel priorem conventualem eligitur, nemo munere in Collegio vel Athenaeo insignitus ad proprium monasterium revocari potest, nisi Abbas Primas consenserit, vel revocatio gravi de causa quindecim ante mensibus a Superiore denuntiata fuerit, vel in conventione periodus munieris stabilita fuerit. Potest autem iusta de causa ad normam Statutorum sive Collegii sive Athenaei solvi.

59⁴ Si in aliquo casu circa co-optationem vel revocationem monachi inter se confligant iudicium Superioris et Abbatis Primi, quaestionem dirimat Commissio Permanens Synodi, iudicando de bono et aequo.

Caput II

De rebus oeconomicis

60. Collegium et Athenaeum ab omnibus Congregationibus et monasteriis sustentatur (n. 57). Congressus Abbatum statuit rationem et proportionem quibus Congregationes et singula monasteria media ad eorum necnon Abbatis Primatis eiusque curiae sustentationem praestant.

60² Ut bibliotheca Sancti Anselmi melius instrui possit, omnium quae in Confoederatione publici iuris fiunt unum exemplar bibliothecae Sancti Anselmi transmittendum est.

61. Abbas Primas Cellerarium Collegii et Athenaei nominat, cui sub auctoritate Abbatis Primatis et vigilantia eius consilii ordinaria negotiorum temporalium administratio committitur, qui tamen non valet ponere actus qui finem modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Abbe Primate facultatem impetraverit. Cellerarius de universa administratione Congressui Abbatum et Synodo Praesidum scriptis rationem reddit.

61² Cellerarius, collatis consiliis cum Consilio Seniorum Collegii, Consilio Rectoris Athenaei et Secretario Abbatis Primatis, quotannis rationem praeiparet in qua praevideat de apta distributione quaestuum et erogationum pro anno sequenti inter Collegium, Athenaeum et Curiam primatiale; exeunte quoque anno, rationem administrationis componit.

61³ Consilii Abbatis Primatis est rationem, sive pro anno sequenti sive pro anno transacto primum perscrutare, deinde pro opportunitate emendare, et postremo approbare. Cellerarius denique rationem a Consilio approbatam Synodo Praesidum subicit et illustrat.

61⁴ Constituatur ab Abbe Primate Commissio Oeconomico, quae tres saltem peritos in re oeconomica ab eodem Abbe Primate designatos, Synodo Praesidum consulta, numerat; quae Cmmisso quotannis investigationem rerum oeconomicarum Collegii atque Athenaei et Curiae primatialis instituat, et relationem in scriptis praeiparet pro Consilio Abbatis Primatis et Synodo Praesidum, pro Commissione de Sancto Anselmo et Congressu Abbatum.

61⁵ Cellerarius, semel saltem in trimestri et quotiescumque Abbas Primas petierit, rationem administrationis peractae Consilio Abbatis Primatis reddit; semel in anno vero Commissioni Oeconomicae.

61⁶ Singulis exeuntibus annis, collatis consiliis pro opportunitate cum Consilio Abbatis Primatis et cum Commissione Oeconomico, Cellerarius statum patrimonii temporalis uniuscuiusque personae iuridicæ elaborat et Synodo Praesidum approbandum subicit.

61⁷ Consilii Abbatis Primatis est, consiliis collatis cum Commissione Oeconomico, subsidium ab omnibus membris solvendum et subventionem ad normam n. 59² tribuendam computare et approbationi Synodi Praesidum proponere.

61⁸ Cellerarius quotannis statum oeconomicum Collegii exponit communitati eiusdem; Senato vero Academico statum Athenaei.

Caput III De Commissione de Sancto Anselmo

62 Instanti Congressu Abbatum, convocatur ab Abbe Primate Commissio de Sancto Anselmo, quae relationem de universo statu Collegii atque Athenaei Congressui praebendam elaborat, necnon conspectum de re oeconomica quadrienii transacti.

62² Commissione de Sancto Anselmo cum voce activa participant:

- a) Abbas Primas, qui praeest;
- b) Sodales Consilii Abbatis Primatis;
- c) Sodales Commissionis Oeconomicae;

d) Ceteri Praesides Congregationum, qui per se vel per alium idoneum sodalem Congregationis participant.

Titulus II DE COLLEGII REGIMINE

63. Collegium Sancti Anselmi est domus studiorum quae iure communi, hac Lege propria ac Statutis peculiaribus regitur.

64. Abbas Primas ad normam Legis propriae potestatem regiminis ordinariae in Collegio tenet, proinde, salvis iuribus proprii Superioris, in omnes monachos quamdiu in Collegio commorantur eadem habet iura et officia quae Abbatibus in suos sodales quoad disciplinam monasticam competunt. Regimen tamen in Collegio ita disponet ut moderatio vitae communis habitualiter Priori Collegii delegetur.

64² Prior Collegii nominatur ab Abbatore Primate consulto Consilio suo, Subprior vero ad normam Statutorum Collegii. Ceteri officiales a Priore instituuntur. Munera et iura omnium officialium in Statutis determinabuntur.

64³ Consilium Seniorum Collegii seligatur modo in Statutis definito, cuius est muneribus sibi in hac Lege propria et in Statutis commissis fungi.

64⁴ Communitatem Anselmianam constituunt omnes qui in Collegio modo stabili commorari intendunt.

64⁵ Admittuntur in Collegio imprimis studentes qui vinculo saltem temporario adstricti in aliquo monasterio quod Regulam S. Benedicti sequitur et a proprio Superiore ad studia peragenda missi sunt. Qui non pertinent ad monasterium quod Regulam S. Benedicti sequitur recipiantur tantum in casibus particularibus de iudicio Prioris et ad normam Statutorum.

64⁶ Visitatio canonica Collegii instante Congressu Abbatum vel quandocumque statuerit Synodus Praesidum a duobus vel tribus visitatoribus a Synodo electis peragitur. Relatio de exitu visitationis Congressui ab uno ex visitatoribus praesentatur.

64⁷ Statuta Collegii a Synodo Praesidum approbantur. Commissio Permanens Synodi potest, consulta pro opportunitate communitate Anselmiana, modificationes Synodo proponere et, si urget necessitas et Abbas Primas consenserit, usque ad proximam Synodum introducere. Congressui Abbatum fiat relatio de mutationibus allatis.

Titulus III DE ATHENAEI REGIMINE

65. Athenaeum Pontificium Sancti Anselmi regitur iure communi, hac Lege propria, Statutis a Sancta Sede approbatis necnon ordinationibus ab ipso Athenaeo additis.

66. Abbas Primas ipso iure munere Magni Cancellarii fungitur. Supremam vigilantiam in institutiones et personas exercet et de novis professoribus advocandis curat.

66² Senatus Academicus ad normam Statutorum res maioris momenti Athenaeum respicientes decidit. Decisiones vero quae iudicio ipsius Senatus, Rectoris vel Magni Cancellarii specialem gravitatem induunt, necnon omnes decisiones quae Confoederationi obligationes pecuniarias extraordinarias imponunt, indigent confirmatione Magni Cancellarii, qui tamen rem Synodo Praesidum vel eius Commissioni Permanti vel etiam Congressui Abbatum deferre potest.

67. Rector, qui e monachis Confoederationis seligitur, Athenaeum secundum normas a Sancta Sede

datas et Statuta Athenaei regit et moderatur.

67² Electio Rectoris fit modo in Statutis definito; Magnus Cancellarius electioni praesideat, qui etiam candidatos proponere potest. Si ne in tertio quidem scrutinio maioritas suffragiorum in Statutis requisita obtinetur, ius nominandi Rectorem ad Magnum Cancellarium devolvitur. Ipsius Magni Cancellarii est electum vel nominatum Sanctae Sedi confirmandum praesentare. Rector in munere ad periodum in Statutis definitam perdurat.

67³ Rector ad normam Statutorum habeat consilium, cuius est muneribus iure ipsi commissis fungi.

67⁴ Rector et Synodo Praesidum et Congressui Abbatum relationem in scriptis de studiorum ordinatione et profectu exhibet.

67⁵ Plerique professores Athenaei stabiliter addicti ex Confoederatione Benedictina adsumuntur, et quidem pro indole internationali Athenaei ex omnibus Congregationibus monasticis; etiam studentes imprimis ex monasteriis Confoederationis admittuntur.